

102
D. D.
APHORISMI
DE

INDUCIIS,

QVOS,

*Consentiente Ampliss. Philosoph. Ordine in
Regia Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ PROFESS. Reg. & Ordinar. Facultatis
Philosophicæ h. t. Decano,

PRO GRADU

Publico examini modeste sistit

JACOB ZIDEEN,

BOREA FENNO.

Ad diem XXII. Junii A:o MDCCLXVIII.


Loco horisque ante meridiem consuetis.



ABOÆ,

Excud. JOH. KEMPE, Reg. Acad. Typogr.

G. von Tolpo



I. N. J.

APHORISMUS I.

Notissimum est, inter belligerantes de rebus variis, quæ ad temperandum dorum nimis belli statum faciunt, prudenter sæpe convenire (*). Ad hæc pacta, induciæ quoque sunt referendæ.

(*) *Paciscuntur nimirum non raro, e. g. de com metu, captivorum redemptione; item, ut certis locis, hominibus aut rebus parcatur, certa nocendi media non adhibeantur, & quæ reliqua sunt ejus indolis, de quibus vid. Pufendorf de I. N. & G. Lib. VIII, c. VII, §. 2. & 3.*

APHOR. II.

Sunt autem induciæ (*) conventio (**), per quam, omnes actus hostiles (***) manente belli statu (****), ad certum tempus suspenduntur (*****).

Obs. Solent Auctores tantum non omnes, qui induciarum faciunt mentionem, easdem his fere verbis definire.

(*) *Videtur induciarum vox commodissime ab inducendo*

do posse derivari, quia per inducias cessatio quaedam ab armis inducitur. Ceteroquin dupliciter sumitur hoc vocabulum, vel pro re ipsa, aut cessatione actuum violentorum, inter belligerantes constituta; vel pro formula, in qua conditiones hac de re mutuo paciscentium consensu adprobatae, descriptae extant, qualis induciarum formula legitur apud Thucydid. l. IV. B. P. & in Tom. III. Histor. German. p. 2090.

- (**) Conventionis vox pariter bifariam accipi solet, vel sub notione actus, vel etiam ejus, qui inde provenit status. Utramque hic significationem complectimur.
- (***) Intelligitur, quod tempore induciarum omnes actus offensivi cessare debeant, quum alioquin nullus omnino foret induciarum usus. Liciti tamen sunt actus illi, quibus securitati suae quis in posterum prospicit, quales sunt, propugnacula struere, moenia rescicere, militem conscribere; & reliqua ejus indolis, nisi quid specialius fuerit conventum. vid. Grotii Lib. III. c. XXI. §. 7.
- (****) Induciae enim non finiunt bellum, nec causam ob quam exortum fuit solvunt; ideoque elapso induciarum tempore, nova indictione non est opus, sed potest utraque pars, nisi pax intercesserit, statim ad arma venire.
- (*****) Solet tempus induciarum ex mutuo paciscentium nutu, pro ratione utilitatis, quam inde expectant jam brevius jam longius constitui. Ita induciae nonnullae, manentibus in expeditione exercitiis, retentoque utrinque belli apparatu incuntur, quae regulariter non nisi

paucorum dierum sunt; aliae, omnem belli apparatus utrimque dissolvunt, & in satis longum tempus iniri possunt. Absurdum tamen fuerit centum aut plurimum annorum inducias pangere, quales Romulus cum Vejentibus fecisse legitur apud Livium Lib. I. c. XV; quum nulla videatur injuria dari, quae non tanto temporis spatio utro velut exolescat, ut ejus persecutorem ultra seculum rejicere opus non sit. Vid. Puf. de off. H. & Civis, Lib. II. c. XVI. §. XVI. item de I. N. & G. Lib. VIII. c. VII. §. IV.

APHOR. III.

Quanta induciarum sit utilitas, vel exinde facile patet, quod non solum ineundae paci viam quasi aperiant (*), sed vires etiam bello attritae, induciarum tempore aliquo modo refici queant (**).

(*) Quod induciae praebeant spem ineundae pacis, haud obscure exinde colligi potest, quod paciscentium animi, jam tum videantur mitigati, quum inter se consentiunt de pangendis induciis, unde plena ulterius pax exoriri potest. Exempta induciarum pace terminatarum plura sunt, quam ut aliqua recensere sit opus.

(**) Sunt induciae longiores instar plenae pacis, quales Turcae haud raro pacisci solent. Quomodo autem respublica vires amissas tempore pacis recuperare potest, ita, idem induciarum tempore fieri posse, manifestum est. Videantur ulterius ea, quae ad Aphor. II. annot. 3. dicta sunt: item Glathey Recht der Vernunft Lib. IV.

Lib. VI. c. IV. §. 46. Quid prudentia hic suadeat, in sequentibus erit dicendum.

APHOR. IV.

Inducias jam ab illo tempore in utroque fuisse existimamus, ex quo bella inter mortales geri coeperunt.

Probabile videtur, inter gentes saltem morationes, tacita quadam conventionione receptum fuisse, ut cessatio ad tempus a proliis constitueretur, & mora tam capitalibus disfidis interponeretur; quum facile intelligerent, ipsam humanitatem requirere, ut horrendus belli status, qua fieri potest ratione temperetur ac mitigetur.

APHOR. V.

Fides in pangendis induciis data, ab utraque parte illata est servanda (*); neque pacta bellica in stratagemata quadam verti debent (**).

(*) *Notissimum est, generale praeceptum: Fides est servanda; quod quominus de pactis quoque bellicis valeat, nulla ratio dari potest. Prolixè hac de re, non minus quam apposite legitur Guilielmus von Meulen, in suo super Grotium commentario, Lib. III. c. XIX. §. 2. ubi inter alia sic scribit: Cum hoste contrahere, pacisci, foedera inire voluntatis est, verum necessitatis contractum & foedera sanctè servare.*

(**) *Contrariatur namque id maxime legi Naturae, sub amicitiae specie illum decipere, cui tamen fidem nominans*

stram promissimus. Callidi ejusmodi, inventi exemplum, legimus apud Ciceronem, L b I, de off. C X, ubi, cum hostis triginta dierum inducias fecisset, noctu agros vastat, speciosum fraudi titulum praeferens, quod non ut dierum, ita noctium pepigisset inducias.

APHOR. VI.

SI fides induciarum ab una parte violata fuerit, parti laetae integrum erit, injuriam sibi illatam, tempore adhuc inducus praestituto, vindicare.

Iniquum enim est, ut foedis fructum perfidiae suae percipiat. Praesumitur praeterea, inducias pangsentes, eas sub hac conditione inivisse, ut quamdiu una pars fidem promissam servat, altera quoque ad eandem servandam obstricta sit; quia capita conventionis, insunt conventioni, per modum conditionis, ut ait Grotius de I. B. & P. Lib. III, c. XIX. §. 14: fide autem, ab una parte violata, altera quoque a praestatione libera esse censetur. Quod si autem certa ei proposita sit poena, qui prior inducias violaverit, hac ex pensata, jus actuum belli exercendorum ab altera parte cessat. Conf. Grot. Libr. citato, cap. XXI. §. 11, 12, item Pufendorf, de I. N. & G. Lib. VIII, c. VII. §. 12.

APHOR. VII.

HAbent induciae a tempore initae conventionis suam obligandi vim (*); quam tamen penes subditos paciscentium non prius exerunt,

exferunt, quam formula pacificationis solenniter promulgata fuerit (**).

(*) *Obtinent nimirum ipsos contrahentes adeo, ut omnes actus hostiles ab illo tempore suspendere debeant, ex quo pacificationis formula utriusque consensu approbata erat. Quicumque igitur intra praescriptum tempus promissa violaverit, non modo perfidi notam incurrit, sed alteri quoque jus dat, quocumque modo sibi nocendi, pacis quoque inducias rumpendi. Vid. Aphor. VI.*

(**) *Nullam subditi ante publicationem habent notitiam initi contractus, qui proinde respectu eorum legis vim prius accipere non potest, quam per solennem promulgationem in illorum cognitionem pervenerit. Quicquid interea contra inducias egerint, ex ignorantia egisse censendi sunt, a eoque a poena immunes erunt. Contrahentes tamen damnum, quod interea datum est, rescarcire obligantur. Vid. Grot. de J. B. & P. Libr. III c. XXI. §. 5. Prudentia vero est, omnes actus hostiles, dum de pangendis induciis agitur, penitus intermittere, ut dissidentium animi salutaris hoc pacto ad ipsam pacem praeparantur.*

APHOR. VIII.

Tempus, quod induciis vel in continuum, (*), vel cum designatione termini (**), adscribi solet, a paciscentibus prudenter ita erit determinandum, ut hac de re nulli in posterum dubitationi sit locus (***) .

(*) *E. g. Quum induciae sunt in viginti dies, primum diem,*

diem, qui in formula earum constituitur terminus a quo, numero isto non contineri cenſet Grotius; quum praeſiſitionis a, quae hic adhiberi ſolet, ſit diſcernere, non coniungere. Quae ſententia tamen Putendorfio diſplicet, quum initium quoque pars ſit rei, neque vocula a ſemper diſcernat, ſed ſaepe etiam includat. Et Conf. Grot. de J. B. & P. Lib. III. c. XXI. §. 4. Puf. de J. N. & G. Lib. VIII. c. VII. §. 8.

(**) Ut ad calendae Julias. Solet etiam hic dubitari, utrum is dies, menſis aut annus excluſus vel comprehenſus intelligatur, ad quem dictum eſt duraturae inducias. Statuit idem Grotius, Loc. cit. magis naturale videri, ut terminus ad quem etiam ſit comprehenſus, ob favorem quem in ſe habet, eo quod humano ſic aliquantulum parcatur ſanguini.

(***) Ex annotationibus huius Aphor. praecedentibus, intelligitur rem omnino in dubio eſſe, num termini a quo & ad quem comprehenſi vel excluſi intelligantur, niſi inter paciſcentes ea de re expreſſe conventum fuerit. Indicent itaque quomodo paſſionis formula intelligenda erit, ut omnis in poſterum diſſenſus in re tanti momenti evitetur.

APHOR. IX.

REſpiciunt induciae ſalutem totius Civitatis, poteſtas itaque illas pangendi ad jura Maieſtatis pertinet (*); quae tamen, quatenus id Civitatis intereſt, etiam alicui inferiori, Duci puta permitti poteſt (**).

(*)

(*) *Quemadmodum induciae suspendunt actus hostiles, secundum Aphor. II, & praeparant ad pacem secundum notam 1, Aph. III; ita haec non minus quam bellum & pax ad jura Majestatica spectant. Et ut cum exteris nemo jure pacisci potest de rebus ad salutem civitatis totius pertinentibus, praeter eum, penes quem est summum imperium, ita idem de induciis valet.*

(**) *Plurimae sunt in republica functiones necessariae, quibus omnibus Summus Imperans solus praesse nequit; quae proinde aliis committantur, necesse est. Sic inducias pangendi potestas quandoque Ducibus permittitur, qui harum rerum plerumque sunt peritissimi. Solet autem potestas vel libera vel circumscripta Ducibus aut aliis ministris dari, prout id Civitati utilitatem afferre videtur. Conf. Glafey Recht der Vernunft / lib. VI. c. IV. §. 43, 44, 45.*

APHOR. X.

PRudentis est, hosti inducias non dare, nisi evidentem suam utilitatem, vel saltem nihil damni iisdem subesse intelligat.

Notum est, hostem saepe ea intentione inducias petere, ut promptior deinceps paratiorque insurgere queat, eoque superior evadere, cui antea ne par quidem erat; quod Belgis evenisse observatum est, qui Hispanis inducias dederunt, ipsi autem postmodum in extremum prope discrimen venisse leguntur. Vid. Boxhornius Disquisit. polit. Forstnerus etiam sic scribit: perito firmus in eo, plus Hispaniae Regem contra foederatos Ba-

tavos duodecennialibus induciis quam quadraginta annorum bellis profecisse. *Omiss. ad Tac. lib. sing. p. 8. Cautio itaque hic maxime opus est, ne inducias petens dolos intendat, & sic viribus auctus plus noceat, quam si actus bellici continuati fuissent.*

APHOR. XI.

SI induciæ ad certos tantum actus concessæ fuerint, ultra illos, & quæ cum iisdem necessarium habent nexum, extendi non debent.

Solent induciæ nonnunquam ad certum aliquod opus peragendum iniri, ex. gr. ad caesos sepeliendos, ferias celebrandas &c. in quo casu, nihil præter id, quod conventum est, erit peragendum; eo enim animo dari solent, ut cætera interim maneant in eodem statu, in quo erant, quum datæ sunt induciæ, ut scribit Guilielmus von Meulen, commentario super Grotium, Lib. III. c. XXI. § 10. Si tamen hostis tempore induciarum obsidione abstiterit, eo ipso alteri potestatem permittitur censetur pristina sua libertate utendi in iis, quæ ad securitatem in futurum aliquid possunt conferre. Conf. Galfey Recht der Vernunft Lib. VI. c. IV. §. 47 seqq.

APHOR. XII.

PRIVATORUM contentiones inducias non rumpunt (*), nisi publicus actus iisdem quoque accesserit (**).


- (*) Si nimirum milites, vel alii subditi privatim se laceſſint, induciæ non ideo violatæ cenſendæ ſunt; quemadmodum enim publica auctoritate conſtituuntur, ita eadem quoque diſſolvantur neceſſum eſt.
- (**) Intelligitur publicus actus etiam accedere, imperii puta aut ratiſhabitionis, ſi qui deliquerint, nec puniantur nec dedantur, ſi res abiatae non reddantur. Vid. Grotius Lib. III. c. XXI. §. 13.

APHOR. XIII.

IN vexata illa quaſtione, num ei qui elapſo induciarum tempore, intra fines hoſticos remanſerit, jure induciarum frui liceat? iis aſſentimur, qui negativam tuentur ſententiam.

Quemadmodum enim hoſtilis ſtatus, per ſe dat licentiam nocendi alteri, quantum ad finem belli neceſſarium eſt, ita poteſtatem quoque concedere intelligitur, retinendi illos, qui hoſti alicui ſunt utilitati, & vires etiam ejus quacunque ratione minuendi. Par præterea illius videtur eſſe ratio, qui elapſo induciarum tempore intra fines hoſticos deprehenditur, ac ejus, qui, quum pacis tempore veniſſet, bello repente exorto, in territorio hoſtis invenitur; quem ad pacem uſque captivum retineri poſſe, aſſerit Grotius Lib. III. c. IX §. IV. item c. XXI. §. IX. hanc adjiciens rationem, quod hic non magis habeat, quod quaeratur, quam tot alii innocentes in quos bellorum mala recidunt.

SOLI DEO GLORIA.



(1) The first part of the paper is devoted to a general discussion of the problem of the existence of solutions of the system of equations (1) under the conditions (2). It is shown that the existence of solutions is guaranteed if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(2) In the second part of the paper the question of the stability of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are stable if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(3) In the third part of the paper the question of the asymptotic stability of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are asymptotically stable if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(4) In the fourth part of the paper the question of the boundedness of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are bounded if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(5) In the fifth part of the paper the question of the periodicity of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are periodic if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(6) In the sixth part of the paper the question of the ergodicity of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are ergodic if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.

(7) In the seventh part of the paper the question of the recurrence of the solutions of the system (1) is considered. It is shown that the solutions of the system (1) are recurrent if the matrix $A(t)$ is positive definite and the vector $b(t)$ is bounded.